

§. 26. Circa quæstionem, quâ quæritur, *An Voluntas determinetur ab ultimò judiciò intellectus?* quædam sunt monenda. Nempe, quando asseritur, Libertatem Voluntatis esse in intellectu radicaliter, ita ut intellectus lumen quasi præferat Voluntati, & quid appeti aut non appeti mereatur, indicet ac judicet, id eò usque extendit *Bellarminus l. 3. de Grat. & lib. arbitr. c. 8.* ut asserere non dubitet, *Voluntatem determinari à judiciò ultimò rationis practica,* seu, Voluntatem necessariò eligere id, quod ultimum judicium practicum determinavit esse eligendum. Vocant autem judicium ultimum, quando, expensis cæteris sententiis, quæ in mentem venerunt, iisque rejectis, tandem concludit ratio, hoc & non illud rectissimè omnium fieri.

§. 27. Sed, ut non dicamus nunc, hanc *Bellarmini* aliorumque sententiam ipsi *Paulo* dicam scribere, ut qui *Rom. i. 32.* expressè ait, *quosdam, qui cognitam habeant justitiam. DEI, quod ii, qui talia* (qualia recensentur *vers. 29. 30. 31.*) *faciunt, digni sint morte, non solùm ea facere, sed etiam assentiri & applaudere his, qui talia faciunt.* Ut, inquam, illa nunc missa faciamus, variis insuper absurditatibus opinio ista exposita est. Si enim *Voluntas* ita dependet à judiciò intellectus, ut nec sine eò possit determinari ad aliquid volendum aut nolendum, nec positò istò judiciò possit ab eò discrepare, ubi manebit libertas & indifferentia *Voluntatis?* Si voluntas est potentia libera, quomodo ita sequetur judicium rationis, ut non possit non istud sequi, cum judicium hoc unum sit ex requisitis iis, quæ ad rem volendam aut nolendam præsupponuntur? Sane si *Voluntati* sua constare debet libertas, necessum est, ut positò judiciò intellectus *etiam ultimò,* aliisque ad agendum requisitis, adhuc illa maneat indeterminata. In hoc enim consistit discrimen inter potentias liberas & necessarias. Et si vel maxime, suppositâ

*Ee 2*

*Bellar-*